

la ei inest scientia, persuadet; ergo orator, ignorans ipse, ignorantibus persuadet; quod est primum absurdum. Oratorem porro, cum de eo, quod iustum est et iniustum, praecipue sit ei dicendum, nosse haec ipsa est consentaneum, eaque aut tenere iam, priusquam ad discendam dicendi artem accedit, aut ab ipso rhetorices magistro accipere. Si ergo iustus est, qui, quae sunt iusta, didicit; oratorem esse iustum debere; et si iustus arte nulla vti iniuste potest; dicendi artem non posse ad vsus iniustos adhiberi, contra quam supra Gorgias dixerat, sequitur; quod est absurdum alterum.

Gorgia ad silentium redacto, defensionem eius suscipit Polus, negatque a Gorgia recte concessum, debere oratorem, quae iusta sint aut iniusta, habere perspectum; et Socrate paratum sese ad rem cum ipso inquirendam ostendente, partes interrogantis suscipiens ipse, quidnam esse rhetoricam existimet, ex eo quaerit. Vsum quendam, non artem, respondet Socrates, empiricamque homines delectandi, eosque sibi conciliandi, peritiam: inde, cum esse eam bonam praeclaramque inferre statim conetur Polus, obsistit ille, quod iucundum sit quidpiam, inde effici vt bonum sit, negando. Sibi enim ita esse persuasum, artem dicendi in ea iure referri studia, quibus blandiri hominibus et adulari solemus, in quorum numero inter alias haud paucas, coquorum, fucantium, et Sophistarum artes sunt; eam autem habere speciem quandam eius artis, qua gubernantur et administrantur respublicae, nihilque ei praeclari aut honesti inesse. Cum autem in exquirenda hac Socratis sententia, imperitiam differendi Polus prodidisset; vt sententiam magis aperiat, Gorgias a Socrate petit. E duabus nos homines partibus, anima et corpore, constamus; sua

sua